





+ 2. Guden de eodem. Vit. 1110.  
 + Preside Andrea Sennero. Vrb. 1090.  
 \* Resp. Jos. Christoph Salk Hung.  
 7. F. M. Lebar Kirchmajer de Flamanec curia Elis  
 ex 2. Reg. II. Vit. 1687.  
 + Habel war Jo. Christoph Wichmaushausen.

EX BIBLIOTH.  
 NATIONALIS HUNGAR.  
 VITEBERG.

VI-77

SIGNAT. CI. 1315CCCCXIII.

45 311/11 Theor. Vol. 37

+ ex Ps. LXXIII. 25. 26  
 Pra Ps. XCIX. 6.

\* ex Catalogus III. 1-7.  
 Vit. 1683.

einzelne vorzettel 17. III. 1915.

1.  
 3.  
 4.  
 5.  
 6.  
 7.  
 8.  
 9.  
 10.  
 11.  
 12.  
 13.  
 14.  
 15.  
 16.  
 17.  
 18.  
 19.  
 20.  
 21.  
 22.  
 23.  
 24.  
 25.  
 26.  
 27.  
 28.  
 29.  
 30.





39

43.6

עמי עשו

DISSERTATIONEM POSTERIOREM  
DE

7 U U

EX

IEREMIAE XXV. 26. LI. 41.,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

**FRIDERICO AVGVSTO,**

SERENISSIMO PRINCIPE REGIO,

ATQVE ELECT. SAX. HEREDE,

PRAESES,

M. HENRICVS VILELMVS MATTHAEI,

GRIMMA MISNICVS,

ET RESPONDENS,

IOANNES GODOFREDVS RICHTERVS,

HERZBERGA SAXO,

AD DIEM V. NON. MAIL.

M DCC III.

EXHIBENT.

---

VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.





77

DISSERTATIONEM POSTERIORUM

DE



FRIDERICO AUGUSTO

M. THEOBALDO VI. ELECTORI SACHSÆ

IOHANNI GODEFRIDO RICHTER

AD P. M. M. M.





### CAPVT III.

**Q**uemadmodum vox  $\text{רשע}$  denominationem suam ex commutatione literarum, quæ  $\text{שבת}$  appellatur, sortiri nec posset, nec deberet, Dissertatione superiori satis explicatum arbitror. Cum enim per versa hac interpretandi ratione Iudæorum Magistros, & qui cum ipsis faciunt, vim inferre sacris literis diceremus, demonstravimus causam eius rei fuisse summam illorum et ineptiam, et fraudem, et credulitatem. Et sane quæ potest esse magis superstitiosa, magisque frigida expositio, quam quod mala fide usurpare Spiritus Divini oracula, aut fingere ipsi nobis quædam monstra velimus? Vtique hoc evincendum firmiter rationibus fuit. Nunc, ut erat propositum, libet alteram sententiam persequi, quam probavere amplexique sunt huius ætatis Viri Eruditissimi. Quorum opinio, etsi nobis non admodum placet, quia incommodi quiddam habet, tamen laudanda est præ ista, quam Iudæi et ceteri animis imbiberunt veteres recentioresque.

II. Equidem scio ego, quod communis hæc sit de  $\text{רשע}$  aliorum sententia, ut Numen aliquod fuisse, a Babyloniiis cultum, magno consensu memorent affirmantque. Quorum auctoritas atque nominis existimatio quo maior semper fuit, eo facilius reperti sunt plerique rerum sacrarum explicatores, qui idem hoc iudicium sequuntur; præcipue, cum existiment, non esse convellendum temere, quod a summis Scriptoribus constanter statutum est. Quippe ubi hoc fit, periculum est, ne omnia pervertat innovandi libido. Sed de re ipsa nostro utimur iudicio, et a recepta opinione nihilo minus dissentimus, quoniam firmior omni auctoritate debet esse veritas. Nos autem, quia res fuit digna visa, in qua ingenium nostrum suas vires exerceat, cuiquam nihil detrahentes patienti via pergimus ad verum, et, quod rectissime dicitur, neque amore, neque odio moti quærendo investigamus.



III. Inter Auctores, qui in eam adducti sententiam sunt, ut arbitrentur, שש esse Babyloniorum Numen quoddam *Iosephum Scaligerum* primo loco ponimus. Vir iste seculi nostri longe doctissimus in *libro suo de Emendat. Temp.* recte quidem commutationem literarum, ארש dictam, cuius beneficio בל erit שש, velut ineptias *Rabbinorum*, deridet, neque tamen suam opinionem, qua Deam aliquam per hanc vocem intelligit, nobis obtrudet, ut amplectamur, nostramque suam subscribamus. Veneramur quidem hunc tanti Virum nominis, sed quia nullum præsidium ad sententiæ suæ probationem affert, nobis religio non est ab ea recedere. Nam, quia id non siverit genius noster, ut in aliena pro auctoritate facta iurem verba, cuiusquam iudicium non apprehendimus, inprimis, cum huic adversari ipsa ratio nobis videatur. Huic subiungimus *Laurent. Fabricium*, Virum in hac olim Academia maxime orientali Literatura celebrem, qui in *Part. Cod. Hebr. cap. III.* exempla secundum ארש composita, eludere æque bene audet, et, quod שש attinet, præsupponit, Deam hanc esse. Sed ipsi hoc idem erat probandum.

III. Præmissis Auctoribus iis, qui absque ulla data ratione hanc vocem pro Numine accipiunt, ad ipsos illos procedimus, qui opinionem suam non tam rationibus, et auctoritate, quam doctis coniecturis, stabiliunt atque tuentur. Et licet suas singuli causas producere videantur, tamen diversis argumentationibus conveniunt in unum. Hic quidem primo nobis nominatur *Gerb. Io. Vosius*, cui in opere absolutissimo, sub nomine *Theologia Gentilis* edito, summum hoc studium fuit, partim ut sacraria paganicæ religionis referaret, quod est illam per eandem refellere; partim ut rerum naturam panderet, suosque ad fines, inprimis Numinis veri ad cultum, referret. Eidem in *cap. XXII. Lib. II.*, quem citavimus, verisimile est, quod שש Numen fuerit, Babylonis ob tutelam sibi præstitam sacrum. Vnde Sach fecerint, uti ex Beel Bel, ex Atargeris Derceto, et similibus similia. Quia vero



vero illud Numen præesset Babyloni, eo, credit, pro ipsa Babylone capiebatur. Idque factum sit *κατὰ ἡερωπολίαν*, ubi Deus sumitur pro Vrbe, quam tutatur. Ut si dicatur Bel cecidisse pro civitate Beli, aut, iuxta *Maronem*, Vcalegonta arde- re, quia domus eius ardeat. Quo de conferantur *Eiusdem Comment. Rbetoric.* Idem hoc *Io. Seldenus* in aureo libro de *DIS Syris*, et cum ipso *M. Andr. Beyerus*, qui in *Additamentis* ad hunc librum Auctoris sententiam vel explicandi, vel ampliandi, vel etiam nonnunquam corrigendi gratia, sola probatorum Scriptorum verba notavit, defendere susceperunt. Prior ille ita se explicat, idolum, ut ipsi videtur, fuisse *Sesach*, aut *Sach*, atque inde factum esse, quod regem *Sesach*, et ipsam urbem, eodem nomine meminerit *Vates*. Eam sententiam eo lubentius amplectitur, quia *Bel*, *Merodach*, *Melcom*, et qui sunt id genus *Dii alii*, pro ipso populo, a quo in veneratione habiti sunt, in præcedentibus tribus capitibus a *Ieremia* accipiuntur. Addit et illud, quod optime sane conveniat, stragem et gentis captivitatem a spiritu Dei sub eius Numinis vocabulo designari, cuius sacra, dum flagellum illud Dei erat ex pectandum, celebrarent. Quod vero ad *Beyerum* attinet, ille magis rem tangere videtur, cum omne illud, quicquid pro Numine *שש* proferri solet, coniecturis tantum niti ingenue fateatur. Primo enim universe ad *cap. 12. A. 13. Seldeni*, quæ de *Nebo Sesach* conscripsit, bene atque feliciter commentatus est: steriles hactenus habuimus, nec, qui sequuntur *Deastri*, sunt fecundiores, nisi forte erroribus de iisdem. Quod autem subiungit, illud peculiariter ad *שש* pertinet: Sunt coniecturæ, quicquid de *Sesach*, sive *Sacca*, *Ier. XXV. 26. LI. 41.* afferunt: volunt enim alii esse *Iunonem*, aut *Venerem*, *Cœlestem*, *Phœnicibus Vraniam*, *Astartem*, *Derceto* etc. dictam.

V. Cum igitur in hactenus dictis nil, nisi coniecturas, reperias, quibus opinionem suam allati Auctores, quæ est illorum doctrina et multarum rerum experientia, probare nituntur, pace ipsorum hoc omne, quicquid est, infirmissimum



duxerim. Equidem a *Scaligero* illo dissentire voluptas mihi non est, quem in magnis Scriptoribus semper numeravimus, et *Vossium*, quem adduximus seculi nostri Principem, tam sancte veneramus, nemo ut nobis præ illo magnus sit. Sunt enim isti profecto, quorum auspiciis hac ætate ad omnem eruditionis excellentiam patefactus est. De *Fabricio*, *Seldeno* atque ceteris, quos ad hunc coniicientium numerum referimus, nihil, præter illud, monemus, quod sua singuli laude non careant, tamen, quæ de  $\gamma\omega\psi$  sentiunt, ad fidem faciendam neutiquam satis firmum putamus. Quare nos ingenua simplicitas iubet, quid verum rectumque sit, sine affectu exquirere.

VI. Primum isti omnes contra leges, quas in Historia observari decet, peccasse videntur, ubi coniicere facile non licet, neque fidem quicquam, præter experientiæ quotidianæ testimonium, et præter Auctorum gravissimorum asseverationem, meretur. Nam illa historia est verax, quæ res gestas ita narrat, uti narrantur in multis libris coætaneis, vel ætati proximis, qua res gestæ sunt. Hoc pronuntiatio tota nititur Historiæ fides, totiusque antiquitatis memoria: τὸ μὲν γὰρ ἀληθὲς ἐστὶ τεκμήριον ἰστορίας, εἰ τῶν αὐτῶν ἀπαντες ταυτὰ καὶ λέγοιεν, καὶ γράφοιεν. *Veracis enim Historiæ indicium est, si de rebus iisdem omnes eadem dicant et scribant. Ut Josephus Libr. I. contr. Apion. erudite docet. Unde enim quendam Philosophia clarum, cui Aristoteli nomen fuit, aliquando vixisse constat? Ex Aristotelis nempe ipsius commentariis, ex aliorumque Sapientum scriptis, qui vel temporum illorum, quibus Aristoteles vixit, æquales fuerunt, vel suppreses. Horum autem scripta genuina esse non aliunde scio, quam ex constantibus proxime et continuata serie sequentium ætatum testimoniis. Quoniam enim coævus, et præsentis, et oculos testes rebus gestis diu superesse non patitur brevitatis vitæ; inde fit, ut res a nostra, vel patrum, aut avorum memoria remotas, non nisi ex aliorum relatione noscere vel credere possi-*



simus; rerum oblivionem reparante hominum studio, dum longinquitatem temporum, memoria excipiente, monumentisque posteritati traditis, repræsentant. Quod in rebus igitur ætate nostra actis valet oculatorum fides, idem in rebus ab ævo nostro discessis valet coætaneorum librorum auctoritas. Iam vero quamvis et recentiores et vestitiores omnes, qui in describendis gentium rebus occupati fuerunt, consulas, tamen nullum ex omni memoria monumentum occurrit, in quo legas, Numen unquam, cui nomen  $\gamma\psi$  fuerit impositum, aut inventum esse, aut a Babyloniis divino cultu honoratum.

VII. Quæ cum ita sint, neque ad Rhetorum præcepta, ut, *Vosso* visum est, neque ad stylym sacri codicis peculiarem, quæ *Seldeni* coniectura, refugiendum ducimus. Nam cum nullum plane in re extet fundamentum, quo utrumque innitatur, quomodo aut præceptum ullum Rhetoricum, aut loquendi genus aliquod Spiritui Divino familiare, applicari potest, quia hic Scripturæ modus non est perpetuus, multisque exceptionibus, quo minus robor et fundamentum ad tuendam veritatem afferri queat, debilitatur? Ex quo fit, ut hanc intempestivam coniciendi rationem excusare nec possumus, nec debeamus.

VIII. Hæc dum exequimur, gaudemus nos vehementer, repertos a nobis esse, qui nobiscum sentirent, tales viros, quorum industria sagacitasque omni prædicatione est maior. Videlicet *Sal. Glasius*, Vir rerum divinarum multo peritissimus, in *Pbilol. sua sacra* etsi mentem suam aperte non explicat, tamen a sententia, qua  $\gamma\psi$  pro Numine capitur, abnuisse viderur. Porro *Thomas Reinesius*, qui, cum in vivis esset, et humanitate et antiquitate multum valebat, eandem opinionem reiecit atque sprexit, propterea, quia de Numine, cuius nomen sit  $\gamma\psi$ , in veterum voluminibus factam esse mentionem nemo unquam recordatur.

#### CAPVT IV.

**N**os, qui Viros maximos incertis hic fluctuare coniecturis cernebamus, ita paravimus nosmet ipsos, ut quiddam



certum teneremus, quod deinceps sine periculo tueremur constantissime. Sic autem existimamus, vocem, de qua agimus, non Deum utique tutelarem, sed dies ipsos festos aniverfarios, qui in Babylonia agebantur, denotare. Equidem, nisi parati sumus argumentis nostram sententiam et rationibus probare, imprudenter tot eruditissimorum hominum labefactare consensum aggredimur. Sed bene speramus, et primum proferimus illud, quod inter festa celeberrima, a Babylo- niis prisca observata, fuerit omnino festum Σάκαια, quod in honorem Anaitidos olim celebrabatur. Hoc nos docet *Abba- maus Lib. XII. ex Beroso*, cuius testimonium ab iniuria temporis ille servavit. *βήρωσ* δ' ἐν πρώτῳ βαβυλωνιακῶν τῶ λῶφ, Φησὶ, μὲν, ἐκαταδεκάτῃ, ἀρχεσθαι ἑορτὴν, Σακάας προσαγορευομένην, ἐν βαβυλωνίᾳ ἐπὶ ἡμέρας πέντε· ἐν αἷς ἐδ' εἶναι ἀρχεσθαι τὰς δεσπότας ὑπὸ τῶν οἰκετῶν, ἀφ' ἡγεσθαι τε τῆς οἰκίας ἕνα αὐτῶν ἐνδεδικότα· πολλὴν ὁμοίαν τῇ βασι- λικῇ· ὃν καὶ καλεῖσθαι ζωγάνην. *Berosus lib. I. Babylonicorum reser- die XVI. mensis Loi*, (qui nostro Augusto respondere dicitur.) *per quinque dies Babylone festum celebrari, Σακάας, nominatum: in his morem esse, Dominos parere imperio servorum: praesse unum eorum familiae, veste, quae regia similis, indutum: hunc nuncupari ζωγάνην. Cuius festi etiam a Ctesia in Persicis mentionem fieri scribit: μνημονέυει τῆς ἑορτῆς καὶ κτιστῶν ἐν δευτέρῳ Περσικῶν. Memorat etiam hoc festum Ctesias in Secundo Persicorum.*

II. Ex his profecto non aliter de nostro ἡσω cogitare possumus, quam eo pacto, uti iam nos significavimus. Ad iuvandam autem firmandamque nostram sententiam primo subiecta est vocis notatio. Equidem facilis admodum est hac in arte lapsus, atque parata et proclivis offensio. Quæ- sivisses a *Io. Goropio Becano* vocabuli alicuius etymon, recurrisset ad linguam Belgicam, quam Cimbricam vocabat. Hic enim paradoxum illud sibi persuasit, linguam Belgicam omnium linguarum esse antiquissimam, et ante diluvium primis parentibus usitatam. Consuluisse *Samuel. Bocharum*, origines hebraicas proposuisset. Hæc ratio igitur concludendi licet



licet aliis infirmioris sit ponderis, nec perpetuum probandi genus suppeditare videatur; tamen, cum vocum similitudines, quas alii aut ex ioco, aut ex imperitia, afferunt, removeamus, facile reiicienda non est, sed, cum res ipsa constet, utiliter adhibetur. Illustrat enim, et res, ut accuratius a nobis perspiciantur, aliqua ex parte exponit, dum, quicquid nominamus, proprio et certo vocabulo appellat, causamque impositi nominis ostendit. Cum igitur rationem verbi  $\text{ישש}$  indagamus, ex lingua Babylonica suam originem habere *Iunius* diserte explicat. Est enim, ut ipse inquit,  $\text{ישש}$  Babyloniorum idiomate *festum diem celebrans*. Quam explicationem genuinam maxime longeque verisimam censemus, cum neminem sciamus, qui maiorem eiusdem linguae notitiam, quam *Iunius* unquam, habeat.

III. Vtique laudatus iste vir non quid dixerint alii, coniecerintve, sed, quid res sit, et quid ratione Etymologiae sibi videatur, ait. Id quod eo magis veritati congruum reperimus, quo saepius sacer codex nominibus huiusmodi uti solet, quorum omnis posita vis in significatione rei est, de qua forte tunc agitur. At vero ne fides dictis desit, cuncta illa nomina, quibus Deus appellatur, recitare possemus. Tot enim sunt nomina eius, quot spectamus virtutes et opera. Virtutes autem eius quis fando numeret? Cum multas percensueris, longe erunt plures, quas omittes. Quae quanquam ita sint in promptu, ut res disputatione non egeat, operae tamen pretium erit, ut hoc de argumento alia quaedam exempla, quae observatu dignissima occurrunt, proponamus. Maxime autem mons  $\text{משה}$  *unctionis*, sive *oliviarum*, ad institutum nostrum pertinet, qui 2. Reg. XXIII. 13,  $\text{הר המשחת}$  *mons corrumpentis*, audit. Quam appellationem propter idololatriam ab Rege Salomone ibi constitutam accepisse videtur. Eam ad rem quoque interpretatio *D. Lutheri* legenda est, qui aliam ad haec verba dedit, dixitque, montem hunc a supplicio maleficorum atque sceleratorum hominum, in quod consurgere  
Iudaei



Iudæi ibidem solebant, et משהו esse nominatum. Licet alii adhuc alia proferant, et proprium id montis nomen fuisse existiment. Ad quos referendus est *Leonb. Raubvolfus in ὁδοπορικῶν, sive Itinerario Orientali in Syriam, Iudæam etc. Lib. III. p. 41.* Sed Septuaginta Interpretes adversus hunc testes citabimus, qui montem משהו expresse טור משהו *montem olivarum*, translulerunt. Idem montis nomen Babyloni, dum Ieremiæ cap. LI. 25. המשהו audit, attribuitur. Quod a murorum, instar montis assurgentium, vastitate et amplitudine fieri *Iunius* auctor existit. Sic Ægyptus aut a superbia sua, aut a fortitudine ab Esaia cap. LI. 9. ררה vocatur. Vtrumque enim istæ vox Hebræis notat, quod tyronibus linguæ sanctæ haud est ignotum. Eadem ratione Ieremias in denominando Babylioniorum Rege ad sacra illa, quæ quotannis certo tempore celebrari iura Babylonica, et religio, postulabant, respicit atque alludit

III. Porro res non obscure inde probari potest, quod Spiritus Dei voce יהוה tempus expugnandæ Babylonis occulte designare voluit. Tunc enim cladibus atque importuna afflictione civitas illa vastanda erat, cum incolis cura esset, ut festum Sacæa servorum conventu epulisque celebraretur. Hæc ita contigisse testes locupletes habemus *Herodotum Cl., et Xenophontem*, qui Cyrum tradunt Euphratis atque aliorum derivasse, atque ita, arefacto fluminis alveo, facilem sibi ad urbem capiendam transitum parasse. Refert autem *Herodotus* inter alia: ἀλλὰ (τοχῆν γὰρ σφι εἶσαν ἑορτὴν) χορεύειν τε τῶτον τὸν χρόνον, καὶ εἰ ἔνθα θεῖσσι εἶναι. *Sed quod forte dies festus eis esset, exercendis choreis atque oblectationibus operam dabant, donec plane hoc resciverunt.* Idem habet *Xenophon* κύβη Παιδείας Lib. VII. Ὅδῃ κύβη, ἐπειδὴ ἑορτὴν τοιαύτην ἐν βαβυλωνίῳ ἤμασεν εἶναι, ἐν ἣ πάντες βαβυλωνίῳ ὅλην τὴν νύκτα πίνασι καὶ καμάζουσιν, ἐν ταύτῃ ἐπειδὴ ταχίστα συνεσκότασε, λαβὼν ποταμὸν ἀνθρώπους ἀνεστράμασε τὰς τάφρους τὰς πρὸς τὸν ποταμὸν. *Cyrus vero cum audisset, celebrari Babylone festum quendam eiusmodi diem, quo Babylonii omnes nocte tota potarent & comessarentur: quam primum eo die tenebræ accessissent*



sisent, magna mortalium magnitudine adbibita, fossarum ostia versus omnem aperuit. Qui plura de ipso hoc excidio volet, *Beniamini Tudelensis Itinerarium* adeat, quod *Bened. Ar. Montanus* latine transtulit. Idem fecit *Const. L<sup>s</sup> Empereur*: Consulat quoque *Pet. Teixeira*, qui de Perfarum regibus commentari aggressus est, et *Pet. de Valle*, qui peregrinationes suas literis consignavit.

V. Iis autem, qui obiiciunt, פשוט et sono et literarum numero multum discrepare a Σάρασα, sive diebus Σαρκῶν, occurrere promptum est. Nam manifesto apparet, quod nomina illa peregrina, ex una lingua in aliam dum transeunt, paululum convertantur, significatu tamen, quem in primæva lingua obtinuerunt, servato: verbo ipso, verbique sono ac syllabis interdum mutatis. Simile quid a Mose factum animadvertimus, qui plurima variarum gentium nomina, quæ habet, ad linguæ suæ inflexionem et modum fere accommodavit, licet in illa nihil plane significant. Insigne nobis exemplum præbet ipsum Mosis nomen, quod ex Aegypto ductum est. Nemo enim, opinor, finget sibi Aegyptiam puellam, Pharaonis filiam, Hebraicæ, ut verisimillimum est, ignaram linguæ, Hebraicum nomen ex Hebraica lingua petatum Mose tribuisse. Hoc Moses ipse de se fatetur *Exod. 11. 10*. Scribit præterea *R. Isaac Abrahaniel* nomen *Monios*, non, ut corrupte legitur in *Catena Cabale*, *Honios*, esse Mose inditum, quod ipsum esse suspicatur vocabulum *Mofes*, sic mutatum ab ipsis interpretibus. Conferatur Eiusdem liber de Agricultura, cui titulus: ספר הוצאכה et ספר הוצבה h. e. *liber Sabiorum*, sive mavis, *liber Orientalis*. Id ipsum nomen etiam in Græcorum libris extat, ac ibi per *Monimos* exprimitur, ut proinde *Monios* et *Monimos* idem sint, ac *Mofes*, et omnes istæ voces unam eandemque personam signent. Vti *Aben Ezra* in *Exod. 2.* notavit. Quo de argumento et legi potest *Atbanas. Kircherus de Lingua Coptica*.

VI. Neque Sanctorum Varum dignitati officit, peregrinarum gentium dictis et sententiis uti. Quanquam enim libri Sacri a Spiritu Dei Prophetis sunt dictati, et verba Prophetarum sunt verba Spiritus Divini, tamen non semper ab eodem profecta



fecta Spiritu, sed ex aliis interdum esse depromta lingvis et libris optime constat. Iam pridem hoc ipsum dubium apud *Originem* movit *Iulius Africanus*, velut arbitratus Prophetarum, Spiritus Sancti nuntiorum ac præconum auctoritati parum convenire, aliena verba et sententias usurpare. Quam perversam ei opinionem exemit *Origines*. Vid. *Iul. Africani Epist. ad Orig. it. Orig. Epist. ad Africanum*. Fateor quidem vaticinia Prophetarum Dei oraculo esse edita; at Spiritum Dei aio afflatus suos ad tempora, et occasionem locorum, hominumque mores applicasse. Atque proinde nonnunquam ab Ethnicis quædam mutuati sunt, uti fecit *Paulus*, cum *Arati* et *Epimenidis* sententias ac verba protulit. *Act. XVII. Tit. I.* Verba hæc fuisse Spiritus Sancti auctoritate et instinctu factum est.

VII. Sed ut institutum prosequamur, non solum *Anaitidi* dies ille festus, sed *Amanno* quoque, sive *Omanno* et *Anandrato*, qui et ipsi fuerunt Dii, ac iisdem quidem aris culti, ideoque *Συβρανοί* appellati, ut *Strabo in V. decimo* meminit, agebatur. Sicuti quoque non in Babylonia modo, sed etiam in Persia, obtinebat. Quo die vero festum celebrabatur, vicatim mancipia feriabantur. Nam publica erat tota urbe, ubicunque Deæ sanum erat, festivitas. Sumebant autem eo die unum servorum, qui veste pretiosiori, quæ regali haud dissimilis, amictus per quinque dies dominis imperabat, ac universis præerat ædibus. Servum illum appellabant *ζωργάνης*: quæ vox Chaldaicam habet originem; ζο enim præfectum in ea lingua significat. Ac ne quid deesset, quo minus lætitiæ publice privatimque declarandæ provideretur, mancipia illo item die, ministrantibus heris, ad mensas accumbebant, quæ maxima epularum abundantia onerata erant, ut plures essent, quæ supererant, quam quæ absumebantur. Homines enim vani plerumque immoderati potius sunt diebus, quibus Deo servire debent, quam de emendandis vitiis solliciti. Quorsum legi mereretur, quod de iisdem Sacæis præter *Athanasium* *Dio Chrysostomus Orat. III. περὶ βασιλείας* prodit, in qua *Diogenes Alexandrum* alloquens ait: *ἐν ἐννεόνῃ*  
νας



καὶ τῶν Σακκῶν ἐορτὴν, ἣν Πέρσαι ἄγισιν; λαβόντες τῶν δεσμάτων ἕνα  
 τῶν ἐπὶ θανάτῳ, καθίσταν εἰς τὸν θρόνον τῆ βασιλείας, καὶ τὴν ἐδοῦτα δι-  
 δόσιν αὐτῷ τὴν αὐτὴν, καὶ τρυφάν, καὶ ταῖς πολλαγαῖς χρῆσται, τὰς ἡμέρας  
 ἐκείνας, ταῖς βασιλείας καὶ ἐδὲς ἐδὲν αὐτὸς πωλεῖ ποιῆν ὧν βύλεται.  
 μετὰ δὲ ταῦτα, ἀποδύσαντες καὶ μασιγώσαντες, ἐκρέμασαν. *An Sacra-  
 rum festum ignoras, quod celebrant Persae? Vincitorum aliquem ac du-  
 cendorum ad supplicium, collocant in regis thronum, regiumque illi  
 dant vestitum, eumque permittunt deliciari, ac molliter vivere, regi-  
 isque per eos dies uti concubinis: nec eum impedit quisquam, quo  
 minus agat, quod animo lubet: postea autem exutum et flagellatum  
 suspendunt.*

VIII. Ex eodem genere erant Romanorum Saturnalia, quibus servi aequae veste herili induti, non solum voluptati da-  
 bant operam, et, quocumque ipsos natura trahebat, sequeban-  
 tur, sed etiam tum imperium in dominos, tum curam totius fa-  
 miliae habebant. Quo de conferendus est *Atbanicus l. c. et L. Ac-  
 cius in Annalibus suis, et L. Seneca Epist. XLVII.* Vtrumque autem  
 et Babyloniorum et Romanorum festum manasse videtur ex  
 Saturnalibus quibusdam Hebraeorum, per novem dies agitari  
 solitis, initio quinquagesimi cuiuslibet anni, qui Iubilaeus erat.  
 Quippe tum servi libertatem recuperaturi, a primo die *Tisri*,  
 usque ad Festum Expiationum, quod in diem decimum cade-  
 bat, iucunditati se dabant, vacabant comotationibus, et coro-  
 nati procedebant, quoad tubarum clangore Senatores *San-  
 bedrin* libertatis signum darent. Haec habentur apud *Maimo-  
 nidem in Halacha Sobemitta Peiobel cap. 10.* מראש השנה עד יום  
 הכפורים לא היו עבדים נפטרים לכתיהן ולא משתעבדים  
 לאדניהם ולא השדות חוזרות לבעליהם אלא עבדים אוכלין  
 ושותים וסמחים ועטרותיהם כרשיהם: כיון שהגיע יום הכפורים  
 תקעו בית דין בשופר נפטרו עבדים לכתיהן וחזרו שדות לבעליהן;  
*Ab initio anni usque ad diem Expiationum neque dimittebantur ser-  
 vi, neque serviebant dominis suis; sed nec agri restituebantur ser-  
 vibus, neque bibebantque servi, atque bilares erant, et coronam  
 quisque capiti suo imposuit. Mox, cum dies Expiationum venisset,  
 Senatores Sanbedrin tubis claxere, atque e vestigio liberi abierunt ser-  
 vi, et reddita dominis praedia sunt.*



VIII. Babylonis perinde, ut Hebræis, dies ille festus peculiari aliquo cultu fuit observatus. Et licet imperium Babylonium plus, quam sexcentorum annorum, ævum Mosis præcedat, non tamen Sacæa eandem gerere ætatem opinamur, sed post initium denique rerum Iudaicarum ad Babylonios morem illum huius festi celebrandi penetrasse verisimillimum est. Nec obstat, quod Iudaica Gens ex instituto suo ita fuit a reliquis gentibus discreta, ut nullo se commercio, nullaque affinitate, confociari pateretur cum iis, qui viverent alieno more, et diversis ritibus ac religione uterentur. Id sæpe experti Ethnici ab iis exoptulaverunt. *Querebatur Lyfimachus apud Ioseph. Lib. I. contr. Apion.*, Mosem iussisse Iudæos, μήτε ἀνθρώπων τινὶ εὐνοήσων, μήτε ἀρίστων συμβεβήκειν, ἀλλὰ τὰ χείρονα. *Erga nullum hominum benevolos esse, neque optima iis, sed pessima consilia, dare.* *Querebatur et Apollonius Molo: ὅτι μὴ παρεδέχοντο οἱ Ἰουδαῖοι τὰς ἀλλοτρίων καταλημμένους δόξαις περὶ θεῶν, μηδὲ κοιτανεῖν ἢ θελον τοῖς κατ' ἑτέραν συνήθειαν βίαι τὴν προαριθμύμενοις.* *A Iudæis non admitti, quicumque diversis de Deo opinionibus essent impliciti, nec consuetudinem inire cum iis, qui aliam vivendi rationem essent amplexi.* Quod etsi verum non est, vulgatam tamen de Iudæis hominum reliquorum opinionem ostendit. Omni enim tempore fuit aliquod Iudæorum cum vicinis regionibus consortium. Nam primum ex Ethnicis plerosque servarunt incolumes, cum Palæstinam armis subegerunt; velut Gabanoitas, Iebusæos, aliosque complures. Qua importuna clementia divinam adversus se iram sæpe conciverunt. Vnde et ab Assyriis, Moabitis, Chananæis, Amalecitis, Palæstinis, Aegyptiis et Chaldæis identidem cæsi, et extra patriam abducti sunt. Quas inter clades, et captivitates, tum Assyriacam, tum Babylonicam, et reliquiarum etiam Iudaicarum, una cum Propheta Ieremia, transmissionem in Aegyptum, fieri non potuit, quin ritus Hebræis usitati in potestatem Ethnicorum venirent.

X. Sed unde Sacæis sit nomen, non adeo aperte constat. *Strabo Lib. XI. p. 353.* ex quorundam sententia memorat, Cyrum, cum suscepisset expeditionem in Sacas, prælio victum, re-

cepis-



cepisse se in castra: hic paululum quiete refecto exercitu, exinde fugam simulasse, plenis omnium rerum abundantia, ac maxime vini suppeditante, relictis tentoriis: ac progressum, quantum videbatur ex usu fore, substituisse: Sacas insequentes, cum castra hostium vacua, cibo potuque plena reperissent, affatim se implevisse: Cyrum reversum, vinolentos eos et stupidosprehendisse, et, dum alii vino somnoque obruti profundo iacerent; alii inter saltandum et bacchandum nudi in arma Persarum incidere, universos pene delevisse: at Cyrum, qui divinitus oblatam sibi hanc victoriam arbitrabatur, diem istum Deae, quam patrio more colebat, consecrasset, et Sacaea appellasse, ut, ubicunque fanum eius Deae esset, ibidem statutum sit celebrari Sacaea, festum bacchicum, per diem et noctem Scythico habitu, potantibus viris ac mulieribus, atque in vino invicem, iocis et lascivia certantibus. Addatur et *Eusthatius*, qui idem paucis exscripsit in *Dionysii Περιγησιων* §. 750.

XI. Verum non levia sunt, quae utrique possunt obiici. Amplius quippe et luculentis dissertationibus id argumentum periculi sunt *Berosus* et *Ctesias*, cum de die hoc solenni iis libris egerint, ubi non Persicas res, sed Babylonicas, tractant. *Libro* statim *Primo Babyloniorum Berosum* Sacaea memorasse *Asbanus XIII* asseverat. Ibidem etiam docet, *Ctesiam* huius festi mentionem fecisse in *Quinto Libro Persicorum*. Iam vero de *Ctesia* constat, quod *XXIII. libros de Rebus Persicis* composuerit, ubi primis sex de iis commentatus est, quae Persicam antecedunt monarchiam: atque septimo tandem res a Cyro gestas auspiciatus. Testatur quoque *Photius* in *Μυριοβιβλιω Cod. LXXII*, ubi, cum breviter ipsam summam Rerum Persicarum collegerit, de Sacaeis tamen ibi silentium est, propterea, quia de iis egisset *Ctesias*, antequam momenta Persica recenseret. Neque etiam *Herodotus*, qui eandem Historiam tradit, quidquam de hoc festo ibi observavit. Has itaque solennes ferias, si fides Scriptoribus habenda est, Babylonii celebrasse videntur, antequam a Persis profligati, et in servitutem redacti sunt.

XII. Sed fortasse *Sesach* idem est ac *Secbes*, ut exinde appellatum



latum sit *Saccarum* festum, de quo Hesychius: Σαχῆς, τῆς Ἑρμῆ ἀσῆς. βασιλευσίου. *Seches, Mercurii stella, Babylonis.* Sane maxima inter has voces intercedit similitudo. Nam utrinque eandem habemus literarum originem, posterioribus tantummodo, quod sæpe fieri videmus, transpositis. Atenimvero palam hæc repugnare animadvertimus veritati, cum *Sacca* in honorem Anaitidos, quæ Diana est, et Venus, non vero Mercurii, sive eum ad Solem referas, sive Stellam Mercurii, celebraretur. Equidem quandoque et in Luna Mercurio sedem statuerunt istæ gentes, quibus orientem solem admirari contingebat: tamen primitus per eum potius Solem intellexerunt. Quippe utriusque λόγος, hoc est, tum rationis, tum orationis ὁ Ἑρμῆς παραστῆκός, *Mercurius est exhibitor ac representator.* Vt *Porphyrus* expresse docuit *Lib. III. Præp. Evang. cap. XI.* Vt adeo, prout orationem designat, in Luna, prout autem rationem notat, in Sole collocetur. Vnde *Idem ibidem* addit: λοιπὸν δὲ σύνθετοῦ λόγου, ὁ μὲν ἐν ἡλίῳ Ἑρμῆς. Ἐκάτη δὲ, ὁ ἐν Σελήνῃ. *Ceterum cum id, quod Græcis dicitur λόγος, compositum sit ex ratione, et oratione: λόγος quidem ille, qui in Sole est, proprie Mercurius; alter vero, qui in Luna, Hecate nominatur.*

XIII. Hæc si minime probare possumus, nihil aliud restat, quam ut statuamus, non aliunde certiora duci, quam ex *Strabone*, testimonia, qui originem huius festi interpretans ad reportatam de Sacis victoriam esse referendam docet. Attamen, si *Ctesia et Berosi* accedit auctoritas, talia hæc esse comperimus, quæ minime ad Cyri tempora spectare debent, licet Persarum iuniores aliter sentiant, et amore patriæ naturali ducti omnia præclara, quorum latebat origo, regni sui fundatori adscribant. Sed Sacas prælio victos, Babylonios et Armenios, qui ipsorum vicini cum hac gente sæpe bella gerebant, victores fuisse magis probabile videtur. Vt adeo non a Persis ad Babylonios et Armenios, sed a Babylonii ad Persas hoc festum dimanaverit. Quod autem a Sacis, Scytharum antiquissima gente, Sacæa nomen acceperint, inde luculenter apparet, quod Babylonii et Persæ diem hunc festum non, nisi Scythico vestitu, quod *Strabo l. c.* testatur, celebraverint: neque Grammaticus ille *Hesychius*, Σάκαια, Σκυθικὴν ἑορτήν, interpretaretur.







IN EZECHIELEM.

DR. FRIDERICI AUGUSTI  
PHILOGIAE HISTORIA ORIENTALIS  
PLECTVM STEPH. THAMMVS  
M. SALOMON  
1777





Ung. VI 17

ULB Halle

3

002 114 550



sb

1028  
1017

7











39

43.6

עמי עטו

DISSERTATIONEM POSTERIOREM  
DE

7 U U  
EX

IEREMIAE XXV. 26. LI. 41.,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
**FRIDERICO AVGVSTO,**  
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO,  
ATQVE ELECT. SAX. HEREDE,  
PRAESES,  
M. HENRICVS VILELMVS MATTHAEI,  
GRIMMA MISNICVS,  
ET RESPONDENS,  
IOANNES GODOFREDVS RICHTERVS,  
HERZBERGA SAXO,  
AD DIEM V. NON. MAIL.  
M DCC IIII.  
EXHIBENT.

VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.